HOC Est transumptum, benè, & fideliter Romæ sumptum, ex quodam memoriali vnicum cõtinente dubium proposito in Sacra Cõgregatione Illustrissimorum, & Reuerendissimorũ Dominorum Cardinalium, super negotijs Episcoporum, ac eius decreto, seu declaratione ab eadem Sacra Congregatione emanat. subscript. ab Illustrissimo Domino Cardinale Bãdino, & Reuerendissimo Domino Episcopo Cassertan. dictæ Congregationis Secretario, sigilloq; eiusdem Domini Cardinalis Bandini munit. non vitiat. nec cancellat. aut in aliqua eius parte suspect. sed omni prorsus vitio, & suspitione caren. cuius tenor est prout sequitur, videlicet. Duplicat. Cæsaraugustan. Illustrissimę, & Reuerendissimę Dominę Dominus Archiepiscopus Cęsaraugustan. suæ gregis animarum saluti intentus, & inuigilans, vt obijciaret scandalis; quæ circa confessiones oriri solebant Sacerdotibus sæcularibus, præsertin qui nondum quadragesimum suæ ætatis annum attingerent pro hominibus tãtum; Regularibus verô, qui in Summis & Theologia morali non benè probati reperiebantur, vt interim illis operam darent, ad certũ tempus pro confessionibus audiendis licẽtiam limitatam concederet, & ad sui libitum respectiuè reuocare, & ampliare consueuit; sed huiusmodi limitatione, & reuocatione non attenta, præfati Sacerdotes confessiones ab omnibus vtriusque sexus indistinctè audiunt, sub eo prætextu, quod cum Bulla Sanctæ Cruciatæ facultatem eligendi Confessorem concedat, ideó ab illa

illa iurisdictionem receperint, & cum semel fuerint approbati titulum coloratum habere censeantur, & consequenter præfatas confessiones audire possint.

Verùm quia hîc agitur de interesse animæ, tam pœnitentium, quam ipsorum Sacerdotũ, qui ideô non debent quærere excusationes in peccatis, Dominus Archiepiscopus pro suæ animæ quiete, supplicat ab hac Sacra Congregatione declarari.

An ipse Dominus Archiepiscopus possit dictas licentias limitare pro hominibus tantum, & ad certum tempus concedere.

Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum præposita, censuit, Confessarijs præfatis, minimè licerè pœnitentium confessiones audire vltra facultatem ipsis ab Ordinario concessam. Romæ, die sexta Septembris, millesimi sexcentesimi vigesimi quinti.

Oct. Cardinalis Bandinus.

Loco ✠ sigilli.

A. Episcopus Cassertus, Secretarius.

QVod quidem transumptum est benè, & fideliter extractum ex supradictis literis originalibus in forma memorialis, cum dubio, & declaratione dictæ Sacræ Congregationis, cum quibus collationatum, comprobatum, & correctum, de verbo ad verbum cõcordat, de quo fidem facio, ac etiam quod originale, ex quo transumptum præfatum extraxi, restitui Domino Laurentio Francès, qui mihi ad effectum illud extrahendi traderat. Quod fuit factũ Romæ in domo mei infrascripti Notarij, sita in Regione

gione Campi Martij, die vigesima tertia Mensis Iunij, Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Vrbani, diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno tertio, præsentibus pro testibus in actu collationis, correctionis, & comprobationis huiusmodi Dominis Petro Gonçalez, ex ciuitate Cæsaraugustan. & Petro Figueres, Barchinonē. Diœcesis Clericis, Romæ residentibus, testibus ad præmissa vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Et quia ego Iacobus Morer, laicus Elnensis Diœcesis, authoritate Apostolica Notarius publicus, in Archiuo Romanæ Curiæ descriptus, huiusmodi transumptum à suo originali decreto extraxi, vt suprà. Ideò hic me subscripsi, & meum signum feci instatus, & requisitus.

Iacobus Morer, authorit. Apost. Notar. public.